

## **Brevis Dissertatio Logica Et Extemporanea De Mentis Humanæ Morbis Ratiocinationem Impedientibus**

Rostochii: Literis Nicolai Schwiegerovii, [1712]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002663407>

Druck Freier  Zugang



1712  
RU phil. 14. Dez. 1722

Aepinus, Franc. Alb.



DEO DUCE.

BREVIS DISSERTATIO LOGICA  
ET EXTEMPORANEA

De

MENTIS HUMANA-  
NÆ MORBIS RATIO-  
CINATIONEM  
IMPEDIENTIBUS,

Quam

In Academia Rostochiana

Die XIV. Decembr. An. MDCCXII.

PRÆSIDE

DN. FRANC. ALBERTO  
ÆPINO,

PHIL. & THEOL. D. LOG. PROF.  
DUCAL. PUBL.

Eruditorum censura  
submitte

Thomas Kihlmarck,

Phil. Cand.

Sveco-Uplandus.

ROSTOCHII,

Literis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliff.  
Senatus Typographi.

1712



ILLUSTRISSIMO atque GENEROSISSIMO  
BARONI & DOMINO,  
DN. MELCHIORI  
von Falckenberg /  
IMPERATORI COHORTIS VESTMAN-  
NORUM STRENUISSIMO,  
*Domino & Patrono suo generosissimo.*

**M**ulta Vestra, Generosissime Domine  
BARO, beneficia in me collata postulant, ut  
ea non solum privatim, sed etiam publice ma-  
gna efferam laude: Quare datam occasionem, quam-  
vis per exiguam, mittere nolui, Vestrum nunc publice  
extollendi nomen, quod semper apud me fuit, est, erit-  
que in magno pretio. Accipias, oro, vultu benigno,  
BARO Generosissime, hoc quaecumque extemporaneum  
ingenii mei specimen, quamvis vile & Generosissimo  
vestro nomine non satis dignum, tamen illud grata  
tulit manus. Dum enim temporis angustia prohibet  
quominus melius, & tale, quale libenter vellem, ob-  
ferre possim, vestra benignitate fretus hoc obfero sem-  
perque maneo

*Vestrae Generositatis*

humillime addictus

TH. KIHLMARCK  
Sveco-Liplandus.



## *Thesis I.*



Nimiam hominis, non minus quam ejusdem corpus, morbis laborare cuique constat, qui nihil bona mente optabilius esse, nihilque æqvabilitate ad verum à falso dignoscendum præstantius ducit. Et quemadmodum corpori morbo laboranti munera sua obire difficile est: Ita quoque menti ægrotanti inquisitio veritatis est difficillima, morbis istis eam impedi-entibus, non solum in Scientiis, sed in omnibus rebus, quas agunt homines, de quibus colloquuntur, quasque unquam menti objicere possunt. Semper enim in rebus sive cognoscendis sive agendis viarum occurrunt bivia, hæc ad veritatem, illa ad falsitatem ducentia, & quid eligendum, sæpe dubitatur. Unde constat, mentem ad suas functiones obeundas non esse perfectam & integram. Hoc paucis curæ est, quum animæ morbi in corpus non adeo suam exerceant sævitiam, uti corporis morbi in animam solent. Unde quoque intelligimus, quare Philosophi, qui medendis animæ morbis operam dant,

A 2

semper

semper in minori sint pretio apud homines, quam Medici, qui curandis corporibus satagunt.

Th. II.

Hi animæ morbi varii sunt generis. Quidam enim sunt naturales, qui à corpore in animam, propter arctam inter utraqve conjunctionem, redundant, ipsamque animæ substantiam afficiunt, de quibus Physici & Medici agunt. Quidam sunt Morales, qui vitia vel peccata dicuntur & in voluntate reperiuntur, de quibus Moralistæ & Theologi. Quidam sunt intellectuales, qui mentem cogitantem occupant, de quibus nos agemus. Describi hoc modo possunt: Morbi intellectuales sunt imbecillitates mentis humanæ, quibus ea impeditur in veritate investigandâ, cognoscendâ, confirmandâ aliisque feliciter proponendâ. Quare quum res ita se habet, imprimis danda est opera, ut mens suæ sanitati restitatur, seu ut iudicium, mente peragendum ritè, & ad illam, quæ accuratissima est, amissim componatur, antequam animus Scientiis adplicatur: alias enim sine dubio perdimus operam. Quia ratione quasi instrumento utimur ad Scientias acquirendas, ut Scientiis tanquam instrumentis uti possimus ad rationem bene formandam.

Th. III.

Nobis, hanc mentis ægritudinem perpendentibus, primus, qui obvenit morbus, ignorantia congenita est. Congenitam dicimus, quia omnes ea  
nati

nati sumus, unde proverbium: nullus nascitur Magister. Omnia, quæ scire possimus, necesse habemus discere, sive ab experientia, sive a Præceptoribus, sive per nostram propriam ratiocinationem. Sic infans qualitates ignis ignorans ei manum imponit, experientia verò doctus ignem vim manum lædendi habere, sibi scit cavere: & puer solem videns, non majorem, quam oculis apparet, sibi persuadet, sed à præceptore eruditus, cum multis parasangis terram magnitudine superare intelligit. Sic Cartesius se per ignorantiam multa falsa pro veris acceptasse falsus est, quæ deinde veritate instructus rejecit.

Th. IV.

Interim non omnem innatam & propterea veram notitiam negamus, sed ideas rerum cognoscendarum initio non satis claras & distinctas in mente expressas dicimus. Mens enim, quamvis in se habeat vim formandi ideas rerum, non tamen statim format, quum ad hoc causæ motivæ quoque requirantur. Atque quamdiu Ideæ in mente non formantur, eadem ibi manebit ignorantia, quam ab ipsa infantia habuit. E. g. Notitia DEI mihi conata est, sed si idea ejus non formatur in mente mea, latet ipsa, donec sive conscientia, sive studium veritatis, eam excitet, excitata vero ea, formo mihi conceptum entis primi independentis summeque perfecti, & ita notitia quæ ante habitualis erat, nunc actualis fit. Atque hoc ipsum est, quod alii

dicunt, ut mens propositionibus de rebus naturâ notis assensum præbere possit, requiri terminorum, ex quibus illæ constant, apprehensionem atque intelligentiam, quæ quandam rei ideam involvit.

Th. V.

Quamdiu hæc ignorantia in mente manet simplex, nullus ibi est error, quia, quamdiu nihil intelligo, nihil affirmo, nihil nego, errare non possum: quum omnis error in affirmatione & negatione consistat, sive in compositione & divisione, nempe quum componuntur Ideæ, quæ non componendæ sunt, & dividuntur, quæ non sunt dividendæ. Licet Ideæ, ut ante dictum est, propter causas motivas à mente formantur, non tamen semper veritati, quæ rebus inest, respondent, quod fit, quum Idea aliter in mente formatur, quam secundum omnes suos modos rectâ ratione formanda est. Unde sæpe evenit, ut Idea suâ naturâ bona, per accidens mala fiat & erronea. Dico Ideam suâ naturâ bonam, quia heic loci eam intelligo, quæ essentiæ rei congruit, ut veritas, quæ rebus & rerum modis inest, menti humanæ representetur. Sed per accidens eam dico malam, quia malè formatur, vel adjunctis illi, quæ adjungenda non erant, vel remotis ab eâ, quæ non erant removenda, unde alter mentis morbus, qui error dicitur. Hic morbus gangrænæ similis est & per se ipsum magis magisque propagatur, ita ut una idea malè formatâ,

formata, aut duæ malè connexæ semper sint causa  
 tertiæ ex illis formata. In causa sunt Ideæ fictitiæ,  
 quas mihi fingere possum, quamvis nullum habeant  
 conceptum objectivum, seu quamvis res, quas fin-  
 go, in rerum natura non dentur.

Th. VI.

Omnes autem Ideæ tanto plus ignorantia participat,  
 quanto paucioribus constant modis earum re-  
 rum, quarum sunt Ideæ, tantoque magis falsæ,  
 quanto minus rectam sequuntur rationem. E.g. si  
 Ideam humanæ voluntatis omnibus modis nudatam  
 haberem, similiqve modo appetitus leonini Ideam,  
 citius in eum errorem inciderem, nullum inter ea  
 esse discrimen, atqve ita formarem generalem con-  
 ceptum voluntatis animalis, sub quo & voluntatem  
 hominis & leonis comprehenderem, nullo discrimi-  
 ne facto inter voluntatem hominum & brutorum  
 appetitum, & ita error oriretur. Hinc constat,  
 quomodo ignorantia causa & mater est errorum ex  
 quibustam magna dissensio, tamqve graves lites in  
 foro & Philosophico & Politico oriuntur, ut effe-  
 ctus à sua causa: quare hæc si evitare velimus, quæ  
 sunt effectus, & illa vitare debemus, quæ causa sunt.

Th. VII.

Cæterum operæ pretium videtur ea observasse,  
 quæ nos in errorem ducere solent, considerando

nampe causas ejus propinquas, quæ & ipsæ in se-  
jam mentis morbi sunt. Quæ in re Cartesium se-  
quimur, & dicimus, eas in tria membra particula-  
tim dispesci posse; quorum primum est præcipitan-  
tia, secundum anticipatio, & tertium latum judi-  
cium non bene perceptum. De singulis his mem-  
bris seorsim videamus, attendendo quot modis  
quibusque occasionibus nos decipiant, & quidem  
primum de præcipitantia.

Th. VIII.

Præcipitare judicia nostra dicimur, quando  
præpropere, nimis celeriter, inconsiderate ac temere  
ea ferimus, prius judicantes, quam rectè perceperi-  
mus, quum tamen judicium esset suspendendum,  
donec res, de qua ferendum est, secundum omnes  
suos modos esset nota. Hoc quo minus observetur,  
impedimentum primum est ætas tali judicio ferendo  
immatura, infantia enim, pueritia, imo & adole-  
scentia non minus præcipiti impetu feruntur in ju-  
dicando, quam in reliquis vitæ actionibus. Rectè  
igitur *Scalig. lib. 3. Poët. Cap. 15.* Pellitur atque  
etiam impellitur ætas prima, tum facile, tum  
vehementer, ad ea, quæ concupiscit. Concupi-  
scit autem & statim, & multa potita contemnit:  
præceps potius animus, quam magna volvens. Iram  
atque animum ipsum in fronte & ore gerunt. An-  
tevertit impetus deliberationi, facta verbis poeni-  
tentia perfectioni.

Th. IX.

Th. IX.

Secundum impedimentum est consuetudo, quæ longo usu quasi altera natura facta, nos impedit, quo minus discernere possimus inter ea, quæ usu, & ea, quæ natura nota habemus, teste *Cartesio Medit. VI. p. 41.* Multa scilicet sunt, quæ etsi videar à natura doctus, non tamen re vera ab ipsa, sed à consuetudine quadam inconsiderate iudicandi accepi. Præterea cuique constare opinor, non solum totas disciplinas, sed etiam unumquodque thema simplex, primo obtuitu esse difficile; causa huius difficultatis hæc est: quod spiritus cogitationi inservientes à voluntate pulsi ad cogitandum, nullas adhuc vias Ideæ ejus rei, de qua cogitandum est, in cerebro fecerunt, & prima vice difficulter faciunt, unde tam difficilis quoque est prima consideratio rerum: at viis factis & sæpe tritis, facillime spiritus eas ingrediuntur, imo sæpe numero sine omni voluntatis impulsione, uti reperitur in somniis, quum commemorati spiritus eas incidunt vias, quæ eis potissimum obveniunt. Idem fit in opinionibus longa consuetudine nobis familiarissimis, quare non raro nobis invitis occurrunt, sive veræ sint, sive falsæ.

Th. X.

Tertium impedimentum est defatigatio in attendendo, nam mens organis corporeis utens, tam-

A 5

diu

diu indefatigata manet, quamdiu organa, quibus utitur, non sint languida, his vero languidis factis, non sine aliqua difficultate ac defatigatione ad objecta praesentia attendit, ideoque saepe judicat, antequam id, de quo judicat, perceperit. Nec iudicium suspendendi consilium inquit, propter vehementius sciendi desiderium, quo flagrat, teste *Arist. lib. I. Met. cap. 1.* atque ita labore defatigata a desiderio concludendi in errorem fertur. Hoc obstaculum ut tollatur, opera danda est, ne corpus nostra culpa debilitetur, nec tempus praeterfluat frustra.

Th. XI.

Quartum impedimentum est impatientia dubitandi, sive adcurate in rerum modos, proprietates, attributa, &c. inquirendi. Hoc vitium tangit *Bacon. de Verulam. Lib. I. de Augm. Scient.* Alius error est impatientia dubitandi, & caeca festinatio decernendi absque debita & adulta suspensione iudicii; nam bivium contemplationis non est dissimile bivium actionis, a veteribus saepius memorato: Cujus altera via initio plana & facilis erat; sine autem impervia: altera autem initio aspera erat ingredienti & confragosa, ubi vero paulo processeris, expedita & aequabilis: Haud secus in contemplationibus si quis a certis ordiatur, indubia desinet; sin a dubiis incipiat eaque aliquamdiu toleret patienter, in certis exitum reperiet. Dubitationis virtus haec est, tam ut ne quidquam, quod clare &

& distinctè non percepimus, concludamus, quam ut errores in non rite judicatis rejiciantur. Quare Scholastici culpandi sunt, qui sine ulla dubitatione de omnibus definire properant. Nec tamen Scepticorum sententiam probamus, qui nihil certum esse contendunt, & ita de una quaque re per totam vitam dubitant.

Th. XII.

Quintum impedimentum est nimia ingenii confidentia, unde multi se intelligete putant ea, de quibus antea non cogitarunt, unde tam multi in Philosophia errores, tamque multi editi libri, quos fingendi finem non esse affirmat Regum sapientissimus. Quorum plurimos lectione non dignos reperimus, ut multi Scholasticorum in Philosophia libri nugis repleti sunt. Huc etiam referri possunt alia Scripta, quæ legenti vel primo obtuitu, falsa apparent. Bene igitur *Cartesius Med. 3.* multi sunt, inquit, qui, cum plus æquo propriis ingeniis confidant, nimis celeriter solent judicare, nunquamque satis temporis sibi sumunt ad rationes omnes circumspicendas.

Th. XIII.

Plura, præter hæc enumerata, impedimenta occurrunt, ut pudor ignorantiae & scientiae arrogantia, spes præcox quacunque de causa concepta, &c. quæ omnia justam ratiocinationem impediunt & præcipitantiam augent, quæ missa facimus & ad membra secundum pergimus.

Th. XIV.

Th. XIV.

Quod de adversa fortuna adflictis dicitur, nulla calamitas sola; idem de philosophantibus dicere possumus. Nam præter commemoratam præcipitantiam, quam multis modis fœcundam erroribus monstravimus, anticipatas reperimus opiniones, quæ alio nomine, præjudicia, termino latius sumpto, dicuntur. Hæ eo facilius nos decipiunt, quod plures nobisque familiares sunt. Sed hæ anticipationes unde suam trahant originem, videamus. Experientia docemur, sensus exteriores res extra nos positas menti nostræ repræsentare eosque sæpe falli. & eam ob causam menti falsas imponere opiniones falsasque imagines, nisi recta ratione examinentur: unde tam multa præjudicia ab ipsa infantia habemus. Quia in ea ætate mens est quasi vacua ab omni cognitione actuali, exiguumque de rebus ferre potest iudicium, ardet tamen cupiditate sciendi. Quare quum sensus res ei objiciunt, lubens accipit, & aut nullo examine instituto reservat, aut examinando decipitur. Pari etiam modo se res habet quoad reverentiam erga homines sive veteres sive modernos magnæ autoritatis, quam præjudiciorum esse causam, unicum remediis contra eam ostendit *Baco de Verulam. de Augm. Scient. Lib. I.* Eas verò opiniones, quas mens primo de objectis rebus accipit, deinde jam atque iterum recogitat, donec habitum induit, quem postea deponere nolit, præcipue quum alius non ita facile adquiritur. Actio enim sæpius frequen-

quen-

qventata si forte recurrat, parum negotii facessit a-  
genti. Ita facile est iudicia semel iterumque facta  
repetere. Adeo celeriter ea fit repetitio, ut vix a  
simplici perceptione distingvatur. Adolescentes talī  
modo multa falsa pro veris admittentes, qvum ad di-  
sciplinas excolendas veniunt, putant eas maxima ex-  
parte sibi ante notas esse; qvare eas ad suas antici-  
patas opiniones detorqvēt, & qvum in ipsas causas  
inqvirere non didicere, effecta explicaturi ad occul-  
tas currunt qvalitates, qvas mente percipere non pos-  
sunt, qvibus singulis nomina imponunt, qvæ me-  
moriæ mandant, atqve ita se magnos esse Philoso-  
phos gaudent: nominibus vero oblivioni traditis in-  
docti sunt doctores, qvia sola nomina sine re habue-  
runt. Nec, si admonentur ad hæc præiudicia depo-  
nenda, ullo modo persvaderi possunt, se talia habere.  
Existimant enim, se de his ante ætatem ad disciplinas  
capessendas maturam non iudicasse. Sed non  
soli infantes ac adolescentes præiudiciis laborant,  
qvī etiam viris adhærere deprehendantur. Ex-  
emplum sistit *Cicero Lib. I. de finibus Epicurum*,  
qvem adseverasse dicit, solem non esse majorem,  
qvam oculis apparet: Qvōd contra omnium Astro-  
nomorum iudicia ausus fuit, qvoniam ab infantia  
illud habuit præiudicium.

Th. XV.

Ita pleriqve nulla, qvæ semel ut vera admise-  
runt, pro præiudiciis habent, sed existimant ea  
vel sensu cognita vel natura nota. *Vid. Du Hamel*  
*Lib.*

*Lib. I. de Mente Hum. Cap. IV. §. 1.* Non igitur mirum, si non rejiciant ea, quæ rejicienda negant. At diligentissime illa sunt distingvenda, quæ à natura nota sunt, & quæ tantum nota putantur. E. gr. quod bis duo sint quatuor, tota sint majora suis partibus cuique natura nota sunt: Sed lunam propria luce non splendere, à natura notum non est. Sed hæc præjudicia, licet nullas justas atque evidentes habeant causas, sed (ut habet Cartesius inconsiderate judicando accepta) semper tamen, inhaerent memoriæ, semperque obversantur, sensus enim ea quæ dederunt semper eadem repræsentando sustentant: eadem quia sæpe audio, sæpe video, sæpe sentio, sæpe quoque occasionem habeo ea memoriæ mandandi: & mens ad ea, quæ antea meditata, facilis recurrit, ut nisi accuratissima instituat examiniatio, non explodantur. Eadem enim causæ, quæ ea in esse produxere, in essendo quoque conservant. Idcirco laudandum est Cartesii institutum, ceteris paribus, quando circa finem Princip. Phil. part. V. non solum in genere errorum causas perpendit, sed etiam speciatim ubique inquirat, & quid olim judicaverit, & quæ de causa judicaverit. Quidam vero contra, non solum præconceptas suas opiniones deponere non volunt, sed etiam pro eis adversus evidentissimas rationes pugnant, quia de sententiis & doctrinis melioribus desperant, sequæ à suis doctoribus non esse deceptos existimant, præcipue quum tam multi eandem foveant sententiam.

Th. XVI.

Th. XVI.

Diximus antea causas dubitandi ad tria referri membra, at si generalissime loquamur, omnes errores ad duos referri possunt modos. Primo si prius judicemus, quam percepimus, secundo, si plus judicemus. Ad primum iterum modum errores referuntur, si iudicium vel præcipitantiã peragitur vel præiudiciis; quæ duobus membris prioribus resolvimus. Ad secundum vero modum, errores referuntur si plus judicemus, quam percipimus, quod membro tertio est resolvendum. Scimus voluntatem haud rarò agere in intellectum, nosque sæpe percipere velle, quod percipere non possumus, unde non rarò accidit quod iudicium tanquam de re clare & distincte percepta feramus, quando eam obscure & confuse tantum percepimus, quum tamen nullum nisi de re clare & distincte percepta sit iudicium ferendum. Argumentamur & sæpe ex rationibus tantum probabilibus tanquam necessariis, præcipuè tum, quum nobis haud facile est claras & apodicticas invenire, & ita potius ab ignorantia quam eruditione concludimus, quamvis callidissimi Dialectici essemus. Rerum similitudo quoque non raro nos decipit, quando scilicet, similitudinem percepimus, & inde indentitatem colligimus, tritum negligentes axioma: simile non est idem. Ita Cicero Acad. *Quest. lib. 4.* Quomodo autem sumis, ut si quid simile esset, sequatur, ut eadem sint? ut si lupi canibus similes, eosdem dices ad extremum. Et paulo post:  
 Fac


Fac enim antiquos illos Servilios, qui gemini fuerunt, tam similes quam dicuntur: non censes etiam eosdem fuisse? Multis præterea modis plus iudicamus quam percipimus, ut si ve de toto feramus sententiam; quum partem solum habemus notam, si ve cognitionem claram & distinctam habeamus pro adæqvata, si ve respectivam pro absoluta, si ve alias a tramite rectæ rationis decedamus. Plura vide apud Logicos de Sophismatibus resolvendis.


Th. XVII.

Objecta quoque nostræ cogitationis interdum haud sane parum laboris nobis facessunt, quæ generaliter ad duo genera referri possunt. Alia enim DEUS nobis innotescere voluit, alia non voluit: Quæ DEUS nobis innotescere voluit, aut recta ratione, aut sacris literis percipiuntur: quæ vero nobis non innotescere voluit nec rectæ ratione nec S. literis percipi possunt, de quibus si iudicium ferre velimus, ex necessitate quædam erramus. At si de prioris generis objectis ad dictamen rectæ rationis quidquam vel affirmamus vel negamus, ex necessitate verum dicimus. Certum quidem est, multa & horum (scil. object.) à sensibus esse remotiora, ut difficile sit eorum scrutari qualitates & proprietates, quibus eorum natura innotescat, veritatemque in interiori latere angulo, tamen accuratissima diligentia, tum in rebus proprio Marte rimandis, tum in legendis audiendisque alienis, hæc difficultas vincipoteest. Sed in illa, quæ DEUS abscondita habere vult, non sunt inquirenda, grata mente DEI bonitas est agnoscenda, quæ tantum nostro concessit intellectui, quantum ad vitam rectè instituendam sunt necessaria. Ultra quæ si inquisitionem instituamus, idem nobis quod olim Phaëtoni accidit, quum immoderata petulantia solis curru vehi vellet & equos dirrigere non posset, de quo vide Poëtas. Unde incantationes, fascinationes, auguria &c. rejicimus ut vitæ humanæ utilitati inutiles Deique laudi non inservientes, quem omnis lingua in æternum laudabit,

FINIS.







the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE283 Serial No.

Patch Reference numbers on UTT

150

150

XVI.

fas dubitandi ad tria re-  
eralissime loquamur, o-  
ri possunt modos. Pri-  
m percepimus, secundo,  
imum iterum modum er-  
m vel præcipitancia per-  
e duobus membris prio-  
secundum vero modum.  
adicemus, quam percipi-  
o est resolvendum. Sci-  
ò agere in intellectum,  
e, quod percipere non  
accidit quod iudicium  
tincte percepta feramus,  
confuse tantum percepi-  
nisi de re clare & distin-  
erendum. Argumenta-  
us tantum probabilibus  
cipuè tum, quum nobis  
apodicticas invenire, &  
yam eruditione concludi-  
Dialectici essemus. Re-  
n raro nos decipit, quan-  
percepimus, & inde i-  
itum negligentes axioma:  
Ita Cicero Acad. *Quest.*  
sumis, ut si quid simile  
sint? ut si lupi canibus  
extremum. Et paulo post:  
Fac